



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Heinricvs Primvs Ex Comitibvs Lvpodvni Stvlingiae Landgraviis Abbas  
Heremi Septimvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



HEINRICVS PRI-  
MVS EX COMITIBVS

LVPODVNI STVLINGIAE

LANDGRAVIIS ABBAS HE-

REMI SEPTIMVS.



AE PER AT paucis ante annis Hirsaugiæ repa-  
rationem (quod Monasterium ab maioribus su-  
is ante c. c. annos conditum, LXXIII. jam in-  
cultum, & monachis inhabitatum perdurabat)  
Adelbertus Comes à Caluue monitu Leonis IX. Pontif. con-  
sanguinei, sed maximè Viltrudis coniugis assiduis adhorta-  
tionibus, & precibus. Monachos ad recolendum, exornan-  
dumque cùm alicunde accire necessitas postularet, sanctio-  
res, & obseruantiores reperire, aut flagitare quam ab Here-  
mitis ne-

mitis ne-

mitis nequiuit. Hac de re fatius est audire Trithemium in Chron. Hirsaugiensi. Eius verba sunt, cum retulisset quomodo Viltrudis Comiti marito persuasisset, ut monachos, non exspectato Monasterij fabricæ termino, introduceret, quorum consilio quæ deerant perficeret. *Dedit ergo Comes persuadenti femina consensum, & unde monachi adducerentur, qui secundum regulam monasticam inculpatè viuerent, capit habere consilium. Erat autem in illo tempore monasterium Solitariorum, quod ab antiquo ad Heremitas dicebatur, in Nigra Silua, bona opinionis, & ob regulam conuersationis monachorum inibi degentium præ ceteris Sueuiæ monasteriis laudatum* (Heremus nostra est in antiquis Sueuiæ ducatus terminis) cuius fama boni odoris gloriâ, inducti Comes, & Comitissa, monachos, si possent impetrare, petere decreuerunt. *Missa itaque ad ipsius cænoby abbatem legatione, Comes Adelbertus rogat sibi monachos vitâ, & conuersatione præcipuos mitti, qui monasterium à se fundatum sub regula S. Patris Benedicti possideant. Misi sunt ergo de Monasterio prædicto fratres cum Friderico venerabili viro quem sibi præfecerant Abbatem. Veneruntq; ad Hirsaugiam anno Dominice Incarnationis Millesimo, Sexagesimo quinto, Indictione III. pridie Non. Decembrium, à desolatione primi Monasterij LXXIII. à fundatione autem prima CC. XXVII. anno. Quos ut vidit deuota Christi famula Viltrudis Comitissa, cum incredibili gaudio suscepit, dispositisq; omnibus, quæ ad sustentationem seruorum DEI videbantur necessaria, monasterium eis vna cum Comite marito consentiens in possessionem sempiternam tradidit. Postea verò quam fratres in possessionem Monasterij necdum consummati fuerunt admissi, ceperunt diligentissimè operam dare, ut Ecclesia quantocyus perficeretur, sperantes se tunc rerum quoque temporalium necessariam prouisionem, iuxta pollicitum Seruatoris nostri in Euangelio, Diuique Patris monachorum in Regula, sine dubio adsequi, cum ante omnia in exhibitione seruitutis DEI omnipotentis debitum promiserint famulatum. Erant autem fratres numero XII. (colligitur hinc numerus fratrum*

Heremi-

Heremitarum cum inde in coloniam veluti potuerint mitti simul XII.) quorum feruorem, & deuotionem cum sancta femina Viltrudis Comitissa vidisset, omni quâ potuit virtute satagebat apud maritum, ne quid ad consummationem tam sancti operis deesse contingeret. Vnde suam munificentiam in fratres, & pietatem indies multis beneficiis ostendit, & quacumque ad subleuationem seruorum Christi intellexisset necessaria, nunc manifeste, nunc etiam occultè liberaliter impendit, &c. Haut erit absque precio si ea quoque quæ de Friderico primo Abbate refert idem scriptor inseruero, vt inde magis, magisque eius tempestatis Heremitarum nostrorum virtus, & sanctitudo elucescat, *Fridericus*, inquit, *Abbas natus fuit ex parentibus ingenuis de gente Sueuorum antiquâ familiâ secundum seculi huius nobilitatem non infimus* (semper monachis nobilitate generis præstâtissimis abundauit ad extrema vsque tempora nostra Heremus) à quibus in iuuentute ad discendum literas positus satis, quantum atas illi permisit, in discendo cum tempore profecit. Postea vero quam sapere & intelligere aliquantum cepit, ad DEVM se non sine mentis feruore, in puero quidem admirabili, cōuertit, & in monasterio Heremitarum apud Cellam videlicet S. MEGINRADI mansionem inter monachos, parētum adiutus suffragio, petiit, & impetrauit. Et hinc tempus omne in exercitiis monasticis, & disciplinâ regulari satis quiete non paucis annis exegit, nulli molestus, nullique onerosus, sed ante faciem suam in simplicitate ambulans parum de mundi huius ratione cogitabat. Lectioni namque diuinarum scripturarum, & interna compunctioni à iuuetute deditus, ac magistrorum sollicitudine, & prouidentia probe institutus, veluti consuetudine quadam introductâ, didicit cum mundo nullū prorsus habere commercium. Erant nempe illo tempore monachi in sepe dicto monasterio regularem vitam, ac puritatem coram DEO, & hominibus, sine querela optimam ducentes, qui pueros, & iuuenes, quos in sui consortium scripsissent, verbo, & exemplo, non solum in scientia scripturarum, sed etiam in moribus ad compunctionis interna deuotionem imbuebant.

Quibus

Quibus exercitiis Fridericus penè ab infantia maiorum co-  
 hortatione, & exemplis instructus, viam simplicitatis virtuo-  
 se, quam semel didicit vsque ad mortem inuolabiliter custo-  
 diuit. Post multos vero annos, cum Adelbertus Comes de  
 Caluue, sicuti diximus, monachos, & Abbatem ex Solita-  
 riensium catu supplex expeteret, nullus tum Friderico melior  
 occurrit, quippe qui non modo verbis, sed etiam exemplis cor-  
 da subditorum ad contemptum mundi, & amorem caelestium  
 fortius omnibus posse inflammare videretur. Erat enim di-  
 spositione corporis, non secus ac mètis, quadam maiestate dig-  
 nitatis reuerendus, staturâ mediocris, qui non multum breuis,  
 nec longus nimium haberetur, in facie corpulentus, & plenus,  
 fortis, & robustus, nec tamen crassus nimium, capillis nigris,  
 canisq; hincinde respersis, & nullâ caluicie depilatus. Qui  
 cum nomen, & dignitatem pastoralis curæ suscepisset, aut ni-  
 hil, aut parum prioris sanctæ institutionis omisit, sed in ora-  
 tionibus, lectionibus scripturarum, meditationibusq; sanctis,  
 & interiorum contemplationi vacans die, ac nocte, seculari-  
 um negotiorum occupationes non facile admisit. Vagos quo-  
 que de monasterio discursus non amabat, vigiliis, & ieiuniis  
 corpus suum pro DEI amore indefinenter afficiens, hostiam se  
 Domino viuam, & immaculatam offerre satagebat. Ad  
 pauperes multum erat misericors, quos ut potuisset pro DEI  
 amore aliquantulum esurientes reficere sapius ieiunus reman-  
 ens, sibi competentia cibaria impertiuit egenis. Vbicumque  
 enim offendisset pauperem, mox sine dilatione quantum potu-  
 it, illius inopia, tam in amictu, quam in victu subueniebat.  
 Nam secundum nomen suum, in omnibus erat pacificus, mi-  
 tis, dulcis, & quietus, plenus charitate DEI, & dilectione  
 fraternâ, incessu grauis, eloquio dulcis, & pulchrâ morum gra-  
 uitate ornatus. A deo vero se coram DEO humiliare didi-  
 cerat, ut etiam in exteriori conuersatione nit or quidam gra-  
 tiæ spiritualis relucens internam cordis humilitatem palam  
 cunctis ostenderet. Inter scriptores namq; reliquos, quod of-  
 ficiū apud veteres monachos, erat valde communiter in vsu,  
 locum tenere cum fratribus non erubuit, in qua se per vices ab

oratione

oratione vacans utiliter occuparet. In habitu suo nihil differbat à monachis subditis, qui, eo tempore, omni utilitate, & extremitate iuxta regulam contenti subtus cucullis, de super vero cappis utebantur. In hac itaque humilitate, & innocentia vitam suam Fridericus abbas diligenter custodiens pravorum temeritatem non potuit euadere, qua bonis viris ab initio mundi semper fuit infesta, sed usq; adeo iniuriis malorum patuit, ut tandem ab officio dignitatis suæ fuerit iniustissime depositus. Hæc præclara sane, de Friderico nostro Ioannes Trithemius. Nam cetera ad suum locum in tempore memorabimus.

At verò Murenfes, & Comes Vernerus Habsburgiacus, secundo iam ab Heremitis petito Præposito, veriti ne ex eo ius sibi aliquod vindicarent, communi suffragio Burcardū ex secundo Præposito abbatem primum salutarunt. Acta Murenfia. Explicatum est abbatem Hermannum hoc anno mortuum. Timens ergo Vernharius comes, quod fratres de Heremitis vellent postea aliquod ius, vel potestatem habere in istum locum cōcilio habito electus est à fratribus ipse Burcardus in abbatem. Hic fuit primus abbas istius loci. Cumq; fuisset factus abbas, sicuti antea facere consuevit, ita & tunc fecit locum in omnibus ornando, & firmando, & regularem vitam fratribus instituendo, ipsamque congregationem augendo. Qui cum septem annis, & aliquid pluris huic loco præfuisset Idibus Ianuarij feliciter recessit ex hoc seculo, sepultusq; est ante monasterium istud, sicut ipse rogauerat, ut in Dominicis diebus fratres sepulcrum eius cum processione circumirent. Ita, eodem prope tempore, duo insignia ab Heremitis exorta, & propagata monasteria, Murense origine; Hirfaugense reparatione. Anno millesimo septimo & sexagesimo, orta inter Rumoldum Episcopum, & Notbertum S. Galli abbatem de iurisdictione controuersia in bellum erupit, factæque vtrinque cædes, & vastitates, donec Rudolphi ducis auctoritate ad pacem, & concordiam rediere. Henricus Cæsar per eadē tempora, iuuenilibus annis, an infita proteruitiā, multa præter decus, & rectum agere, statuere, principes,

A. D. M.

CIC.  
LXVII.

N

&amp; impe-

A. D. N.

CIC.  
LXVIII.

& imperij capita aspernari, & deprimere, viles, & è vulgo contra attollere, multaue per auaritiam, etiam ex sæuitia, & crudelitate perpetrare. Episcopatus, sacerdotia, & dignitates, resque Ecclesiæ sectatoribus suis, & adulatoribus largiri, plerumque venum habere, diuortium etiam cum Berchta coniuge meditabatur. Missus ob ea ab Alexandro pontif. anno millesimo sexagesimo octauo Petrus Damiani ad comitia Francofurtum cum graui oratione eum increpauisset, magnâ ordinum adprobatione, & assensu, eo adegit, vt se in pontificis auctoritate futurum sponderet. Quid eodem hoc anno octauo & sexagesimo euenerit Friderico è nostratibus primo abbati Hirsaugiensi facere non possum quin testem, & auctorem eundem Trichemium interponam. Is ita scribit ad eum annum.

Anno vero sequente, qui fuit Dominica Natiuitatis CIC. LXVIII. cum abbas Fridericus iuxta morem, & consuetudinem suam rebus diuinis totus esset intentus, lectioni, meditationi, orationique, & contemplationi deditus, fratribusque suis, quos sibi ipse constituerat rerum omnium monasterij disponendarum in externis æconomos, nimiam in agendis permitteret libertatem, ceperunt eum, diabolo instigante, contemnere, & quo modo ipsum à dignitate deicerent consilium habere. Spiritualis namque vitæ tranquillitatem, quâ ille vehementer se occupare solebat, non religioni, sed inertia sua adscribebant, ipsumque ignauum, & rerum temporalium inexpertum irridebant, quippe qui ad eorum commodum, & utilitatem in externis nihil penitus prouidere, aut posse, aut velle videretur. Oquid non presumit caca prauorum ambitio, quæ presentibus nequiter inhians, memoriam futurorum non admittit. Virum enim honore dignum monachi penitus indigni non solum non venerantur, sed etiam persequentes despiciunt, & eum quem summo honore ab ultimis etiam terræ finibus, si ita opportunitas requireret, vocare ad se debuerant, repellere à se, & abicere turpiter non formidat. Comitem Adelbertum

principes

principes factionis monachi prorsus DEO, & hominibus ingrati adeunt: Fridericum abbatem suum inertem, ignaumque, non satis provide accusatum deserunt, & quam inuutilis sit monasterio aliis, atque aliis verbis mendaciter confingunt. Et quidem facile animum Comitis viro sancto, & innocenti reddunt auersum, ut qui mundanis rebus assuetus nihil minus quam interna conuersationis quietem cogitabat. Erat etiam abbatiam pridem non mediocriter infensus, propterea quod, consulētibus id ipsum monachis, liberius quam illi erat in mente, traditionem monasterij Pontificali roborandam auctoritate exigere tentasset. Unde fratrum accusationes contra Fridericum libenter admisit, & mox eum abbatali honore priuasset, nisi uxoris deuotissima consilio fuisset aliquamdiu prohibitus. Sed nec ad eum caussa accusationis delata videbatur sufficiens, pro qua abbas deponeretur, non quod iustitia rationem in hoc attenderet, sed ne apud homines leuitatis argueretur, si ad tam leuem querelam monachorum hominem alioquin bonæ apud omnes fame, & opinionis à prelatura remouisset. Interea dum hæc agerentur Fridericus abbas sanctæ simplicitatis amator more suo celestibus intentus disciplinis, earum machinationum quæ parabantur in suum exitium penitus ignarus, dolos, & fraudes suorum non aduertit. Cum autem cernerent accusatores iniqui, se hac viâ non posse proficere, ut sanctum virum omnino deijcerent, alium modum inuenerunt. Consilio namque, diabolo suggerente, inter se habito crimen fornicationis pastori suo morbida oues imponunt, ut eum, quem vincere non poterant, iniuriâ superarent. Hac famâ delatâ ad Comitem non examinauit caussam secundum regulam æquitatis, non fecit produci testes à suspitione iniquitatis, sed violentiam iuri præposuit, eosque testes admisit contra innoxium, quos accusatores in caussa ad se non pertinente habuerat. Deposuit ergo virum sanctum, & innocentem iudex presumtuosus, quem accusatum quidem nouerat, non confessum, non legitimo testimonio conuictum. Et quãuis non pertineat ad laicum ratio huiusmodi actionis, presumpsit tamen ambitio, quod voluit iudicantis, cui tempus fauere videbatur in obse-



quium sceleris, quo praesulerat secularis iuuenis, & puer nomen regis sine regimine portabat. Depositus autem per violentiam Comitis abbas Fridericus illatam contumeliam pro DEI amore patientissime tulit, & ut nihil passus in omni patientia, & mansuetudine inter alios pacifice vixit, nulliq; molestus in aliquo fuit, neque vicem iniuriis rependit, quamuis non paucas quotidie ab infirmioribus irrisiones sustineret. Quicum locum irae dare potuisset, noluit, sed cum his qui oderant pacem pacificus, & tranquillus omni tempore permansit. Sed omnipotens DEVS iuste iudicans patientiam pauperis non despexit in finem, quoniam quem tribulari innocenter permiserat, quam iniuste fuerit depositus breui postea reuelauit. Doli namq; machinatio patuit, aperta est iniquitas, fraus quoque detecta, & innocentia viri omnibus facta est manifesta. Nullam enim deponendi eum legitimam habuerunt, sed inuidia occaecati aemuli crimen fornicationis in eum mendaciter composuerunt, sicut postea manifeste apparuit. Enimvero cum vir DEI esset homo humilis, & quietus, minusque intenderet rebus, & actionibus mundanis, seq; in auctoritate pastoralis seueritatis nequaquam subditis reddidisset formidabilem, ceperunt eum contemnere, & habere exosum, ipsum, tamquam inutilem, de abbacia cogitauerunt eicere. Non est malitia supra malitiam claustralium peruersorum, qui nullum facinus abhorrentes audent omne quod lior suggererit. Depositus autem fuit anno millesimo sexagesimo octauo, indictione sexta, anno regiminis abbatialis adsumti tertio completo, & mensibus ferme octo. Mansit igitur inter aemulos suos, ut diximus, vir humilis, quietus, nulli grauis, nulli onerosus, sed interna compunctioni deditus, dies, noctesque in oratione Domini consummauit. Interea adueniens abbas monasterij S. Nazarij Laurissensis cum innocētis viri deiectionem cognouisset, cuius vitam, & mores sanctissimos dudum antea nouerat, ingemuit, quem inter lupos, velut agnum, diutius manere non sustinens, ex magna eum pietate secum abduxit, & in monte Archangeli Michaelis, qui Ebersberg dicitur, collocauit, ac de necessarius, quam diu vixit, copiosa miseratione prouidit. In

eodem

eodem veromonte usque ad mortem permāsit, orationibus, ceterisque pia conuersationis studiis intentus, tantoque liberius contemplationi, & quieti mentis dedit operam, quanto ab omni cura, & tumultu secularium occupationum fuerat remotus. Denique non multis postea annis euolutis, domino vocante, infirmari capit, & sancto in pace sine quieuit. Quo mortuo, catena ferrea ad nudam carnem eius inventa est, quā multis annis creditur non sine dolore, quod cicatrices carnibus infixæ monstrare poterant, in occulto portasse. Sepultus est, in eodem loco, non sine opinione sanctitatis, super cuius tumulum nocturnis horis lumina emissa, vt multi testabantur, visa sunt, & signa diuinitus ostensa. Huc vsque de Friderico nostro Trithemius, quem inter beatos, & ex Heremo nostra incalorum gloria cōstitutos merito colimus, & veneramus. Post depositionem Friderici, ortā de successore inter Hirsaugienses contentione, postremo in Vuilhelmum, apud monasterium S. Hemerammi Ratisbonæ monachum, quem quidam è fratribus notum antea viderant, reliqui famam bonæ cōuersationis eius satis celebrē sæpius audiuerant, vota, & suffragia conuerterunt, accitumq; præesse omnibus iussere. Cum eo, sanctitate, & miraculis illustri, ac toto Hirsaugiensi collegio Heremitæ cōfraternitatem perpetuam, patris suffragiorum interpositis, laudabilem contraxerunt, diuersis diuersa post mortem subsidia orationum dantes, & recipientes, vt ait idem de quo supra, Trithemius, qui paullo post huius eiusdem confraternitatis fructus vberius explicat, his verbis. *Nec erat inter multos tunc celebris otiosa ista memoranda fraternitas quæ missis, & orationibus sanctorum cumulata defunctorum animabus grata subsidia ministrabat. Hac enim compacta sonabant, vt quoties defunctus aliquis de monasterio sub confraternitate præfata susceptus in canobio Hirsaugiensi denunciatus fuisset, constituta pro eo mox fierent orationes, vigilia, missa, disciplina, & eleemosina, quas pariformiter, & ab aliis pro se fieri post mortem singuli exspectabant. Denique si quando contigisset aliquem monachorum de canobio hanc confraternitatem cum Hirsaugiensibus ha-*

bente, ad Hirsaugiam venire cum tanta suscipiebatur charitate, ut non alienus, & advena, sed domesticus, & incola cano-  
bij illius esse putaretur. Similis exhibitio charitatis impende-  
batur fratribus huius monasterij Hirsaugiensis ad ea loca ve-  
nientibus cum quibus fraternitatis confederationem habebat.  
Hæc Trithemius, qui quæ essent eodem tempore in confrat-  
ernitatem Hirsaugiensem recepta, hæc, præter Heremitas,  
monasteria recenset. Schaffhausianum omnium S. S. rum Pe-  
terhausiæ, Augiense, Rhinaugiense, Murense, alia plura.

A. D. N.

CIC.  
LXIX.

A. D. N.

CIC.  
LXX.

Anno sexagesimo nono, i v. Nonas Nouemb. supremū  
diem clausit Rumoldus Constantiensis episcopus, magnus  
prorsus vir, & Heremiticā disciplinā, & integritate dignus.  
Heinricus Cæsar, ineunte anno millesimo septuagesimo, Epi-  
scopum Constantiensem nominavit Carolum canonicum  
Magdeburgensem Hartzisburgi præpositum. Acceptus, ha-  
bitusq; Constatiæ primo honorifice, mox per superbiam, &  
leuitatem in odium omnium venit. Comperto etiam, am-  
bitu, & largitione, eam ad dignitatem enixum ad Pontificē  
super eo retulerūt, qui Maguntiacēsi, cuius in prouincia Cō-  
stantiēsis episcopatus est, mandauit ne inungeret, aut recipe-  
ret, nisi causā cognitā. Eodem anno, obiit abbas Heinricus  
xiv. kal. Mai. Erat Comes Lupoduni, vulgō Lupfen. Arx, &  
vicus est, nō longe à Danubij dextra (qui & inde haut procul  
habet originem, & fontem) medio inter Stulingam & Tut-  
lingam itinere, cuius Stulingæ regionis etiam Comites pro-  
uinciales, siue Landgrauij fuerūt. Tulingos Cæsar Iulius vo-  
cat. Lupoduni meminit Aufonius Magnus celebrans Va-  
lentiniani, & Gratiani filij de Allemannis victoriam in suā  
Mosellā, & vtriusque Imperatoris triumphos.

*Hostibus, inquit, exactis Nicrum super, & Lupodunū,  
Et fontem Latius ignotum annalibus Istri.*

Quam victoriam etiā Marcellinus pluribus enarrauit. De  
Heinrico nihil præterea reperi. Breuitas temporis, siue ad  
ministratiōnis, facultatem agendi, aut memoriā  
ademit. Successor nominatus concordii suf-  
fragio Selingerus baro VVolhausianus.

SELIN-